Quelle: http://manuscripta.at/?ID=387
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

uerbum uite. ab initio erat. ad tempus uisibilis et palpabilis factus est
unicus filius dei. Ad quam rem uenit. et quid [illegible] nobis nouum
nuntiauit? Quid docere uoluit? Quare [illegible] quia [illegible] fecit hoc quod
fecit. ut uerbum caro fieret. ut deus p[illegible] inde omnia indigna
ab hominibus pateretur. ut alapas eo[illegible] fusti[illegible]neret de manibus
quas ipse formauit? Quid uoluit docere? quid uoluit ostendere?
Quid uoluit nuntiare? audiamus. Nam sine fructu percepti audicio
rei geste. quia natus est christus. et quia passus est christus. auocamentum
mentis est non firmamentum. Quid magnum audis? quo fructu
audis? Vide quid uoluit docere. quid annuntiare. audi. Quia
deus lux est inquit. et tenebre in eo non sunt ulle. Adhuc lucem quidem
nominauit. sed obscura sunt uerba. Bonum est nobis ut ipsa lux quam
nominauit illustret corda nostra. et uideamus quid dixit. Hoc est
quod annuntiamus. quia deus lux est. et tenebre in eo non sunt ulle.
Quis enim auderet dicere quia in deo sunt tenebre? Aut quid est
ipsa lux? aut quid sunt tenebre? Ne forte talia dicat que ad oculos
istos nostros pertineant. Deus lux est ait. Scio quid est lux. Sol lux est.
et luna lux est. et lucerna lux est. Aliquid debet esse longe his maius
longeque prestantius. longe supereminentius. Quantum deus a creatura
quantum conditor a conditione. quantum sapientia ab eo quod fac
tum est per sapientiam. longe ultra omnia debet esse lux ista. Et forte
uicini ei erimus. si que est lux ista cognouerimus. et ad eam nos
applicauerimus ut ex ipsa illuminemur. quia in nobis tenebre sumus
et ab illa illuminati possumus esse lux. et non confundi de illa. quia
de nobis confundimur. Quis est qui de se confunditur? qui se cognos
cit peccatorem. Quis de illa non confunditur? qui ab illa illuminatur.
Quid est ab illa illuminari? qui iam uidet se peccatis tene
brari. accedit ad illam. Unde dicit et psalmus. Accedite ad illam et il
luminamini. et uultus uestri non erubescent. Sed non erubesces de illa.
si quando tibi te fedum ostenderit. displiceat tibi feditas tua. ut perci
pias pulchritudinem ipsius. Hoc est quod uult docere et fortasse